Quelle: https://manuscripta.at/?ID=416
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

talis quoque egressus non possit a bono pastore
laudari ut diceret: ingredietur et egre
dietur et pascua inueniet. Est ergo aliquis
non solum ingressus, uerum et egressus bo
nus per ostium bonum quod est Christus, si quidem uitae lau
dabilis et beatus egressus. posse quidem dicere:
ingredi nos quando intus aliquid cogitamus; egre
di autem quando extrinsecus operamur. Et quoniam sicut dicit
apostolus per fidem Christus habitat in cordibus nostris.
ingredi per Christum uel est esse secundum ipsam fi
dem cogitare: egredi autem per Christum secundum ipsam fidem et
foris, id est coram hominibus operari. Unde et in
psalmo legitur: exiit homo ad opus suum. Et
ipse dominus dicit: Luceant opera uestra coram
hominibus. Sed plus me delectat quod ipsa ve
ritas tamquam bonus pastor et ideo doctor bonus
quodammodo nos admonuit quemadmodum in
telligere debeamus quod ait: ingredietur
et egredietur et pascua inueniet. Et conse
cutus adiunxit: fur non uenit nisi ut fu
retur et mactet et perdat. ego ueni ut
uitam habeant et habundantius habe
ant. Videtur enim mihi dixisse: ut uitam
habeant ingredientes, et habundan
tius habeant egredientes. Non autem potest
quisque ad Christum id est per Christum egredi ad eter
nam uitam quae erit in specie, nisi per ostium
hoc est per eundem Christum in ecclesiam eius quod
est ouile eius intrauerit ad uitam temporalem
quae est in fide. Ideo ait: ego ueni ut ui
tam habeant, hoc est fidem quae per dilectio
nem operatur, per quam fidem in ouile ingrediuntur
ut uiuant, quia iustus ex fide uiuit.

et habundantius habeant, qui perseuerando
usque in finem per illud ostium id est per fidem Christi
egrediuntur. quoniam ueri fideles moriuntur
et habundantius uitam habebunt, ueniendo
quo pastor ille praecessit, ubi nunquam deinde
moriantur. Quamuis ergo et hic in ipso ouili
non desint pascua, quoniam utrumque possumus
intellegere quod dictum est: pascua inueniet,
id est et ad ingressum et egressum, tamen tunc uere
pascua inuenient, ubi saturentur qui esu
riunt et sitiunt iusticiam. qualia pascua
inuenit cui dictum est: hodie mecum eris
in paradyso. Quomodo autem ipse sit ostium, ip
se pastor, ut per se ipsum quodammodo et ipse in
gredi et egredi intelligatur, et quis nam sit osti
arius, longum est hodie quaerere, et differen
do sicut ipse donauerit explicare.

Explicit Omelia xlii. Incipit .xlma.iii.

Ab eo quod scriptum est: ego sum pastor bonus.
bonus pastor animam dat pro ouibus,
usque ad id quod ait: mercennarius fugit
quia mercennarius est, et non pertinet ad eum
de ouibus.

LOQUENS dominus Ihesus ouibus
suis et praesentibus et futuris quae tunc aderant,
quia erant ibi iam oues eius; erant quae fu
turae erant oues eius. et praesentibus et fu
turis, et illis et nobis, et quod et post nos fuerint
oues eius, et quis ad eas esset ostendit. Omnes
ergo audiant uocem pastoris sui dicen
tis: Ego sum pastor bonus. Non adderet bonus
nisi essent pastores mali. ipsi sunt fures